

quod nec plebanus nec sui capellani per se vel alios nullo modo inducant suos parrochianos ad vovendum, jurandum fide interposita aut quomodolibet alias promittendum, quod apud suas ecclesias sepulturam eligant vel jam electam non immutent, sed debet stare in libera voluntate ubi velit sepulturam eligere, in loco fratrum aut parrochia vel quibus velit consepeliri, nec oportet quod in presencia curati aut sacerdotis cujuscunque fiat electio talis sepulture; mandatur hoc sub anathematis pena et maledictionis eterne in capitulo „Animarum periculis“ de sepulturis libro 6^o ¹⁰⁸⁾ et sub excommunicationis sententia lata, cujus absolutio extra mortis articulum pape reservatur, in capitulo „Cupientes“ de penis in Clementinis ¹⁰⁷⁾.

Ex alio quod plebanus aut cappellani sui apud ecclesias dictorum fratrum eligentibus sepulturam eukaristie aut extreme unctionis sacramenta dicte electionis sepulture occasione nullo modo denegare presumant nec se in aliquo difficultare, quin ymmo cum ea qua decet devocione et sollempnitate reverenter illa sacramenta infirmis ministrent prout tenentur; fundatur hoc in statuto domini Bonifacii 9., quod incipit „Exhibita nobis nuper“ ¹⁰⁹⁾.

Ceterum propter nonnullos clericos in angulis mus[s]itantes ordinetur, quod in locis in quibus dies septem, triginta, anniversaria, memorie aut commemoraciones funeris debeant celebrari, stet voluntati et arbitrio heredum, executorum vel aliorum prosequencium funerum negocia predictorum juxta capitulum „Licet“ de testamentis et ultimis voluntatibus ¹¹⁰⁾.

Postremo ordinetur quod artifices aut eorum cooperatores mechanici volentes ordinare fraternitates aut perpetuas memorias pro vivis et defunctis, de ista fraternitate stet in libero eorum voto ¹¹¹⁾, ubi velint illam memoriam habere, vel in parrochiis vel in loco fratrum, nec una pars alteri parti per aversionem personarum illarum volencium hujusmodi memorias ordinare dampnum quovismodo inferre presumat secundum capitulum „Ceterum“ de testamentis ¹¹⁰⁾.

¹⁰⁸⁾ Sextus Decretal. III, 12. 1.

¹⁰⁹⁾ Wadding, Annales IX, 446.

¹¹⁰⁾ In der Stellenangabe liegt wohl ein Versehen vor.

¹¹¹⁾ Durchstrichen geht vorher „arbitrio“.

